



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

23. An alia Sacramenta præter Baptismum, & Pœnitentiam aliquando conferant primam gratiam? Et ex doctrina hujus quæstionis sequitur, quod si aliquis v. g. non potest confiteri, & sumat Eucharistiam, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

in peccato mortali ministraturum, & tamen is, qui petit etiam sine necessitate solum peccare venialiter, tenet tanquam certum Soto in quarta distinct. 1. q. 5. art. 6. in vers. 1. itaque propositio sit. Idem ergo dicendum videtur de petente ab infideli iuramentum, qui paratus est jurare per falsos Deos absque iusta necessitatis, aut utilitatis causa: Sed quamvis hæc sententia probabilis sit; prior autem: & verior, & probabilior mihi videtur. Ita Valboa.

4. Hanc sententiam absolute tenet Cutillus in addit. ad pract. 4. Mancini, dub. 42. ubi ita ait: An quis petens sacramentum ab aliquo Sacerdote veram facultatem illud administrandi habente, sed quem certo scit illud in mortali ministraturum, mortaliter peccet, ac proinde sacramenti receptio nulla sit & invalida.

5. Respondeo negativè, etiamsi ex devotione sacramentum recipere velit, sive Sacerdos, seu Minister sit proprius suscipientis Parochus, sive non, quia non minister absque ullo peccato, contritionem, v. g. eliciendo, sacramentum administrare possit, vel si contritionem habere non possit, illius administrationem, se honestè excusando omittere queat, si illud postea cum peccato administret voluntariè omnino peccat, ac proinde sibi tale peccatum imputare debet, & non petenti, qui hic & nunc exercet actionem licitam petendi, scilicet sacramentum à vero, ac proprio illius ministro per potestatem ordinariam, vel delegatam ad hoc instituto, & quamvis petens in hoc occasione peccandi ministranti sacramentum exhibere videatur, tamen huiusmodi occasio est occasio peccandi materialis, id est voluntariè accepta, ex eo quia vitalis ex parte ministri (ut probavimus) non verò formalis & peccaminosa. Quod aliqui intelligi volunt etiamsi sacramenti susceptor alium Ministrum, qui sacramentum sine peccato administraret facile, seu commode invenire posset, ratio fortè potest esse, quia quamvis nos proximi peccatum cum aliquo nostro incommodo ex charitate evitare teneamur, id tamen intelligitur de illis peccatis in quibus vitandis proximus nostro adjutorio aliquantulum indigere videtur, quod in casu nostro non accidit, cum minister sacramenti ex se si velit à peccato, quod tunc committit surgere & sacramentum sine peccato administrare queat, alioquin si sententia in contrarium, locum habere posset omnes actiones licite, illicitæ redderentur, quod nullo modo admitti debet, nam scandalum passivum, & voluntarium est peccatum proximi, puta iudicia temeraria, suspiciones, & his similia ex nostra licita actione desumpta, ad quod vitandum nullus unquam dicit nos etiam cum aliquo nostro incommodo tenere, & ab actione hic, & nunc nobis licita cessare debere: Hucusque Cutillus. Ex his ego olim consului Regularem, quod maximam verecundiam habebat confitendi sua peccata cuidam Confessario ex deputatis à superiore, potuisse sine culpa mortali petere administrationem sacramenti penitentiae ab alio Confessario deputato etiam à superiore, quem probabiliter timebat esse ministraturum Sacramentum in peccato mortali.

## RESOL. XXII.

An ad valorem Sacramenti requiratur positivus consensus illud suscipiendi, maxime in adultis quoad Baptismum, & alia Sacramenta, vel sufficiat, quod non resistant? Ex part. 5. tract. 23. & Miscell. 1. Resol. 32.

§. 1. Quidam Sacerdos sumpsit Presbyteratus Ordinem, & ut ipse aiebat, in eius susceptione neque actualiter, neque virtualiter habuit intentionem suscipiendi illum; scrupulis postea angebatur, quia ex D. Thoma in 3. p. quest. 68, art. 7. Soto in 4. dist. 4. q. 4. Coninch. de Sacram. q. 64. art. 8. dub. 5. & aliis, communiter ad valorem sacramenti in adultis requiritur positivus consensus suscipiendi illud: ergo, &c.

2. Sed ego tunc dictum sacerdotem ab illa anxietate liberavi, non ex doctrina Cajetani in 3. p. quest. 68. art. 7. & Ledesmae in 4. part. 1. quest. 9. artic. 7. assentientium ad valorem sacramenti in adultis non requiri positivum consensum, sed sufficere quod non resistant, ut videtur expressisse Innocentius III. in cap. majores, de Baptismo. Non inquam, tunc hanc doctrinam adduxi, sed aliam, nempe quod licet in adultis requiratur, ut dictum est, positivus consensus ad valorem sacramentorum; sufficit tamen habitualis, id est, prateritus non revocatus, ut supponitur in dict. cap. majores: & satis congruenter, quia suscipiens non se habet ut agens & operans, sicut se habet minister, sed tantum se habet ut patiens, ac proinde non est necessarius consensus esse actualiter, neque virtualiter, ut ex eo tanquam ex efficiente derivetur, & fiat sacramentum: sed sufficit, quod suscipiens aliquo modo consentiat in susceptionem sacramenti; ad quod sufficit consensus prateritus nondum revocatus. Et etiam sufficit consensus ex metu coactus, ut supponitur in dict. cap. majores, & in Concilio Toletano IV. can. 55. quia consensus iste est simpliciter voluntarius, & liber, quamvis aliquid involuntarij habeat admixtum; imò non est necessarius consensus specialis, sed sufficit quilibet etiam generalis, quia quodlibet suscipiens dicitur in susceptionem sacramenti consentire, ut consensus, quo quis Catholicè vivens desiderat aliquando uti medijs Ecclesie, vel ea sibi conferri, quando ipsis indigeat, & hunc ad minus præsumit Ecclesia in moribundo, quem extreme ungit, quamvis id non petierit. Et ita docet Hurtadus de Sacrament. in genere disp. 4. diff. 13. doctè ut semper solet.

Sup. hoc in tom. 5. tr. 1. Resol. 60. §. Nota etiam hic, vers. Ac in aliis, & seq. & in om. 4. tr. 8. Resol. 48. §. Restat, sed lege eam per totam, & aliam Resol. ejus primæ not.

Quoad hoc in tom. 11. ff. lege laram doctrinam, Resol. 114. à lib. 2. & vide etiam Resol. ejus secundæ ante not.

## RESOL. XXIII.

An alia Sacramenta præter Baptismum, & penitentiam aliquando conferant primam gratiam? Et ex doctrina hujus questionis sequitur, quod si aliquis, verbi gratia, non possit confiteri, & sumat Eucharistiam, putando se habere contritionem, si habeat tantum attritionem, adhuc ex sumptione Eucharistie, obtinebit primam gratiam. Ex part. 5. tractat. 13. & Miscell. 1. Resol. 31.

§. 1. \* V illalobos ubi infra, & Hurtadus Complutensis ex Gabriele Vasq. disp. 3. de Sacramen

\* Sup. hoc lege doctrinam Resol. nor. seq. per totam.

# De Sacram. Baptismi. Ref. XXIV. &c. 19

Sacram. in genere diff. 4. negativè respondent, seclusa Extrema-Uncione; quia existimat Hurtadus per hanc etiam conferri primam gratiam attritis, & absque mala fide suscipientibus illam.

2. Verùm ego libenter affirmativa sententia adhaereo. Dico igitur quinque sacramenta vivorum conferre primam gratiam aliquando, videlicet quando peccator accedit attritis; existimans bona fide se esse in statu gratia absque peccato mortali, quia de divina clementia credi potest, quod voluerit sic accedenti conferri primam gratiam. Id tamen non eodem modo defenditur ab auctoribus hujus sententia; quia alij existimant id habere dicta sacramenta per se, & ex primaria institutione eorum secundum rationem genericam sacramenti; quamvis secundum specificam fuerint instituta ad conferendum augmentum gratiae; alij verò existimant id habere dicta sacramenta ex institutione ipsorum secundum rationem specificam; secundario tamen, & per accidens. Et hanc sententiam probabilè esse docent ipsimet adversarij, & idè Villalobos in *summ. tom. 1. tr. 4. difficult. 7. num. 2.* sic ait: [Es probable que los Sacramentos de los vivos dan primera gracia; porque los sacramentos de los muertos dan aumento de gracia, quando los recibe un nombre que esta en gracia, lo qual parece de per accidens; pues no fueron instituydos para ello principalmente; luego tambien los sacramentos de los vivos daran la primera gracia de per accidens al que llegare con suficiente disposicion, la qual parece que tiene el que llega cum bona fe, y no pone esorvo al efeto de los sacramentos.] Ita ille, & absolutè nostram sententiam docent Coninch. de *Sacram. quest. 62. art. 1. dub. 2.* Reginaldus *tom. 2. lib. 26. num. 45.* & alij. Hac opinio satis animarum consolatoria est. Ex illa sequitur quòd si aliquis, v.g. quia non potuit confiteri; sumeret Eucharistiam; putando se habere contritionem, si habeat tantum attritionem; adhuc ex sumptione sacramenti obtineret primam gratiam.

## RESOL. XXIV.

Qua Sacramenta sicut suscepta, recedente fictione, conferant gratiam; an solus Baptismus, & Pœnitentia, vel etiam cetera Sacramenta? Ex part. 3. tract. 13. & Misc. 1. Resol. 30.

§. 1. **D**icam breviter quæ DD. dicunt. Durand. in 4. dist. 4. q. 4. & Canus de pœnit. p. 5. docent Baptismum, & Pœnitentiam conferre gratiam recedente fictione. Major. in 4. dist. 4. q. 2. & Covarruv. in cap. Alma mater p. 1. §. 4. n. 23. Baptismum, Confirmationem, Ordinem, & Matrimonium pro tempore; quòd durat vinculum ipsius, & Extremam-unctionem pro tempore; quòd in infirmitate; in qua datur, durat periculum mortis. Suar. in 3. part. tom. 3. disp. 28. sect. 6. Baptismum, Confirmationem, Ordinem, Matrimonium, Extremam-unctionem, & Pœnitentiam. Valq. in 3. part. tom. 2. disp. 161. Sotus in 4. dist. 6. q. 1. artic. 8. & alij, conferre gratiam recedente fictione, putant soli Baptismo convenire. Sed alter Sotus, Petrus scilicet in *instit. Sacerd. lect. 5. de Baptismo*, & Cajet. *tom. 1. opusc. tract. 5.* docent omnia septem sacramenta sicut recepta conferre gratiam; dicta fictione postea recedente.

2. Unde meritò dixit Villalob. in *summa tom. 1.*

tr. 5. difficult. 21. num. 2. [Que en esta questio no ay cosa cierta.] Ipse tamen magis probabiliter tenet, [que todos los sacramentos quitada la fiction, tienen su efeto:] & ratio esse potest, quia Baptismus idè confert gratiam recedente fictione, quia quamvis gratia Baptismi suppleri possit per contritionem, id tamen est melius, & utilius hominibus; sed etiam est illis melius & utilius, quòd reliqua sacramenta sicut suscepta; postea recedente fictione conferant gratiam; ergo id etiam est illis tribuendum, sicut & Baptismo.

## RESOL. XXV.

An omnia Sacramenta, vel solus Baptismus habeat effectum, recedente fictione? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 15.

§. 1. **M**agister Sotus in 4. dist. 6. quest. 1. art. 8. hoc privilegium ad solum sacramentum Baptismi restringit; alij verò extendunt etiam ad sacramentum Ordinis, & Confirmationis. Ita Sylvius in 3. part. q. 69. art. 10. ubi citat Canum, Sylvestrum Paludanum, Gabrielem, & alios. Sed Cajetanus *tom. 1. opusc. tr. 5. q. 5.* de confessione informi; & alij absolutè docent omnia sacramenta, si cum fictione suscipiantur, illa postea recedente conferre suum effectum gratiae sanctificantis; & ego hanc sententiam cum Cabrera ubi *supra de Sac. q. 69. art. 10. disp. 4. n. 9.* libenter amplector, quia multum extollit; & amplificat dignitatem sacramentorum, licet Villalob. in *summa tom. 1. tract. 7. difficult. 23. num. 1.* & Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 63. sect. 8. negativam sententiam doceant quo ad sacramentum Eucharistia; sed unusquisque (ait Cabrera) eligat quam maluerit.

Sup. hoc in Resol. præterita, & in tom. 2. tr. 7. ex curiosa doctrina Resol. 151. §. sed ego in fine, & seqq.

## RESOL. XXVI.

Qua peccata sint, qua remittuntur per Baptismum, recedente fictione? Et qua peccata sint, recedente fictione, explicanda, vel non explicanda in confessione? Et an sola attritio sine Sacramento Pœnitentia sit sufficiens ad removendam fictionem? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 14.

§. 2. **H**æc questio ad motes maxime utilis est, ideo declarabo magis titulum; an per Baptismum recedente fictione remittantur omnia peccata; non solum quæ antecedunt Baptismum, sed etiam ipsum peccatum fictionis; & alia quæque peccata, quæ in ipsa reali Baptismi susceptione perpetrantur, & denique ea, quæ Baptismum subsequuntur; an potius omnia ista peccata remittantur per pœnitentiam, per quam tollitur fictio in ordine ad claves Ecclesiae; ita ut sicut, id est, sine attritione baptizatus, postea in confessione sacramentali hujusmodi peccata confiteri teneatur.

2. Prima opinio est Scoti in 4. dist. 4. q. 5. ubi asserit, omnia peccata, quorum homo attritionem non habuit, saltem cum ad Baptismum accessit; postea recedente fictione per pœnitentiam deleri, tenerique ipsum hominem sicut baptizatum de illis peccatis pœnitere, & ratione sui; & quatenus fuerunt fictionis causa in Baptismo, & con-

B 4 sequentur